

Fl. 270

A) Remchingen Jr.

Tab A 2) - 44)

nicht vorfindbar
nach RK





Ad sequentia iuris axiomata.

DE INIURIIS ET FAMOSIS LI-
BELLIS DEO AVSPICE.

PRÆSIDE RE-

VERENDO, CLARISSIMO

AC CONSULTISSIMO VIRO,

DOMINO IOANNI BERNEBURGER I.V.D

ac professore in Academia Moguntinensium pu-

blico, collegiatarum Ecclesiarum B. Mariæ virgi-

nis, ad gradus intra decano, & S. victoris extra

muros Moguntinos Scholastico, S. Sedis Mo-

guntinæ Prothonotario, domino ac præce-

ptore suo obseruando, pro vi-

rili publicè respon-

debit.

PETRVS RENARTVS MOGVNTINVS.



Moguntia, Ex Officina Gasparis Behem,

Anno Domini cl. Is. LXXXIX.



REVERENDO AC NOBILI
VIRO, DOMINO IOANNI SCHVVEL-
CKHARDO A CRONBERG, REVERENDISSIMI
in Christo patris ac Domini, Domini VVolfgangi
Archipræsulis Moguntini, sacri Romani Imperij
per Germaniam archicancellarij principis electoris
clementissimi, in spiritualibus vicario generali, sum-
mæ Aedis Moguntinæ Scholastico, ad Sanctum Al-
banum & S. Petrum præposito, Domino suo
gratioso, hoc forensium controuersia-
rum præludium de-
dicat.



PETRVS RENARTVS MO-
GVNTINVS.

DE INIURIIS ET FAMOSIS
LIBELLIS.

THESIS I.

IN hac iniuriarum non minus utili quam in foro & usu frequenti materia, in primis inspicienda sunt cum Iureconf. vocis seu nominis, nec non rei definitiones. Nominis significationem Vlp. duplicem constituit generalem & specialem.

In princ. instit. de iniur. & l. 1. D. eod.

II.

Generali vocis intellectu, omne id quod non iure, seu contra leges fit, iniuria fieri dicitur.

In princ. inst. & l. 1. D. d. iniur. Theoph. instit. eod.

III.

In specie vero accipitur vel pro damno culpa & non iure dato a vel pro iniquitate, & iniustitia iudicis male iudicantis, b vel denique pro contumelia cuidam illata, c quarum postrema significatio huic loco conueniense est, vbi de damno vel facto agimus, quod in alterius ignomiam, contemptum, vel infamiam vergat.

a L. 5. §. 1. D. ad L. Aquil. b. L. 1. de appell. & relat. L. 5. l. si per 51. De evict. & dup. stip. c. l. 1. in fin. pñrij. ff h. t. in pñrio instit. eod.

IIII.

Rem definiendo, dicimus iniuriam esse delictum, priuatum ordinarium, dolo malo homini libero per contumeliam illatum, ad corporis, dignitatis, famæ uel læsionem tendens.

per tot. tit. instit. & fforum de iniurijs in princ. instit. de obligat. quæ ex delicto nasc. l. 4. D. de oblig. & act. Myns. ad Rub. num. 3. inst. h. t. Melech. Kling. num. 1. inst. eodem.

V.

Eam fieri docet iurec. re aut verbis, a hinc in realem, & verbalem distinctio orta est. Re fieri iniuriam dicimus cum manus inferuntur, b seu alio quodam facto contumelia alicui illata constat alterius puta corrumpendo familiam, c litem mouendo, d arrestando, e impedi-

A 2

endo

endo quo minus in suo publico ire, agere, piscari, aucupari liceat,
f literasue alterius resignando, signando, coelando. g.
a l. 1. §. 1. D. h. t. b l. sed est 9. eod. c l. inter D. de Adult. Paul. lib. 1. tit. 12. d. l.
iniuriarum 13. §. 3. h. t. § illud. pen. in Auth. De his qui ingred. ad appel. e Boert.
in sing. incipit sequestratio. f d. l. iniuriarum 13. §. fin. g Bart. in l. item apud §. 1.
num. 1. h. t. Ang. in tractatu malef. in verb. adnumeravit.

V I.

Eum tamen si quis in lacu proprio piscari prohibeat iniuriam non
facere, & proinde iniuriarum persecutione non teneri cont. Cuiac.
iuri magis consentaneum arbitramur.

l. 13. §. fin. in fin. D. de iniur.

V II.

Dupliciter committi dicitur realis iniuria. Proprie & minus pro-
prie. Proprie veluti in ipsum corpus, cum quis pulsatur, verberatur,
cæditur, aut domus alicuius vi introitur.

l. 5. in princ. l. 23. D. h. t. Bart. in l. non solum §. si mandato num. 7. D. h. t. Cuiac.
in l. 4. §. vlt. in verb. libertatem. De usucapion.

V III.

Minus proprie: cum per se factum non infert infamiam, nisi sæpius
repetatur, aut sermonis usus accedat, vt si quis pudicitiam alicuius at-
tentauerit, a aut matronæ comitem abduxerit. b.

a §. 1. instit. eod. Paul. 5. sent. 4. §. 14. l. 15. §. 22. & 23. D. eod. b l. 1. §. 2. d. l. 15. §.
15. cum 4. seqq. De iniur.

I X.

Verbalis iniuria quæ conuicium proprie dici potest. a fit aut lingua, aut
scripto. Lingua, cum proferuntur verba quæ natura sua iniuriosa
sunt, quæque ad famam, dignitatemque alicuius labefactandam ten-
dunt. b.

a l. 1. §. 1. D. h. t. b l. item 15. §. 2. cum aliquot seqq. l. sed est. 9. D. eod.

X.

Scripto, cum quid vere, vel ad ignominiam alterius scribitur, vel
prorsus ad infamiam vt in famosis libellis.

l. 5. §. 9. l. 15. §. 27. 29 D. de iniur. l. vni. C. de fam. libel.

Vell

XI.

Vel cum quæ pictura famosa profertur, qua verba quidem nulla exprimuntur, eiusmodi tamen aliquid in contumeliam alterius pingitur, ex quo mens & animus iniuriandi appareat, *a* & tam in hac, quam in famosis libellis ædendis, diuulgandis, vendendisq; autorem, & scriptorem spectamus. *b*

a Vid. Geil. lib. 1. obs. 10. num. 8. *b* d. L. lex Cor. 5. §. 9. cum L. seq. D. de iniurijs.

XII.

Parum autem referre arbitramur, cum protestatione adiecta ne, an an vero hac omissa iniuria inferatur, *a* item vera sint an falsa, quæ iniuriose in aliquem dicuntur, aut scribuntur, *b* nisi forte ad defensionem magis, quam ad accusationem tendant. *c*

a Hostiens. de iniur. num. 6. Felin. inc. dilecti. de except. Boß. in practica criminali num. 3. de iniur. *b* per text. in L. iustissimos C. de offi. rect. provinc. ibi nam si vera voces &c. facit text. in L. Quisq; C. de postulando. Cyn. in L. si non conuicij num. 13. C. eod. Panor. in c. cum te. num. 26. & 35. Dere iudic. *c* Ang. in pract. crimin. ad verb. verba iniuriosa num. 9.

XIII.

Quare eum si quis cuidam hisce verbis, tu mentiris, salua reuerentia, respondeat, in vanum protestari contra actum & per consequens iure non releuari, bene receptum esse existimamus.

Alexand. & Iason. in L. fin. D. quod quisq; iur. dd. in L. si non conuicij C. de iniur. Bart. in L. apud Labeonem §. prator ait num. 3. D. eod. Bart. Ang. Castr. Alexan. & alij in L. si quis extraneus ff. de acquir. hered.

XIIII.

Hinc quoque illud à dd. bene receptum arbitramur, cum quis contra personas testium excipiendo, publicis ac priuatis criminibus obnoxios, & per consequens ad testificandum minus idoneos eos affirmauerit, necdum crimina probauerit, iniuriarum idcirco persecutionem excipientem non effugere.

Geil. lib. 2. obs. 101. num. 6. & 7. Bose. in pract. crim. tit. de iniur. num. 21. Schnei. in d. §. iniurianum, 17. instit. eod.

XV.

Omnes autem qui iniuriam actu vel potentia facere possunt & pati posse constat, *a* non contra, vnde cum iniuria ex affectu facientis aestimetur, *b* furiosos, *c* dementes, impuberes, *d* dolo non capaces, iniuriam quidem pati, sed facere nequaquam posse asserimus.

a l. 3. D. de iniur. b d. l. 3. §. 1. h. t. l. 5. C. eod. c l. 60. D. de rei vindicat. d l. 3. §. 1. D. de sepulch. viol.

XVI.

De ebrio vero quid statuendum? Ebrius de atroci & reali iniuria omnino tenebitur; *a* in leui vero & verbali prorsus excusatur, ita tamen si discussa vinolentia sobrium poeniteat. *b*

a Cyn. in l. si non conuicij num. 22. C. h. t. Lan. franc. in c. quoniam verb. confessiones num. 1. De probat. b l. vni. C. si quis Imp. maledix. Roman. latissime in l. 1. de verber. obligat.

XVII.

Afficitur autem quis iniuria non solum immediate, verum etiam mediate. *a* Immediate propriae & directo paterfam. vel materfam. praesens siue absens. *b*

a L. 1. D. h. t. b L. item 15. §. conuicium. 7. h. t. L. 5. D. ne quis eum. Salic. in L. vni. C. si quis Imp. maledix.

XVIII.

Mediate: cum iniuria fit per consequentiam, *a* verbi gratia cum fit liberis, *b* seruis, *c* uxori, *d* nurui; siquidem iniuria haec qua afficiuntur, qui potestati nostrae, vel affectui sunt subiecti, ad nos spectat.

a d. l. 1. §. 3. D. h. t. iunc. L. 27. §. 3. in fin. De rei vend. b d. l. 1. §. 3. L. 18. in fin. L. 41. D. eod. c L. 15. §. 43. & 44. h. t. d §. 2. inst. & L. 2. C. de iniur.

XIX.

Quare si iacente hereditate defuncto iniuria infligatur, actio hereditati acquiritur, quae post aditionem heredi competit, si vero hereditate

tate

tate iam adita id fiat suo nomine haeres ea experitur.

l. 5. §. 6. D. hoc tit. l. 3. D. de sepulc. viol.

XX.

^{tab-}
Pœna iniuriarum ex l. 12. *a* propter membrum ruptum talio; *b* propter os vero fractum numariae pœnae erant constitutæ, eandem vero in desuetudinem abiisse, & arbitrariam à prætoribus esse inuentam & introductam Iust. imp. docet. *c*

a Aut. Geil. lib 20. Noct. Attic. cap. 1. b vid. Exod. 21. c §. pœna 7. instit. h. t.

XXI.

Sublata itaque illa talionis pœna ex quavis iniuria leni seu atroci descendente, vel ciuilitè, *a* vel criminaliter *b* agitur utroque tamen modo ad vindictam, ita ut vna actione intentata consumatur altera. Quoniam æquum non est, idem admissum pluribus legibus puniri. *c*

a l. 7. l. vlt. C. eod. b l. 37. §. 6. in fin. §. 10. instit. eod. c l. senatus de accusat. & inscript. l. 41. in fin. D. de pœnis.

XXII.

Agitur autem ciuilitè quando iniuriæ maculam sibi iniustam actor iureiurando æstimat, sibiq; pœnam applicari perit.

§. pœna. §. atrox instit. de iniur. l. constitutionibus §. 1. D. h. tit. Panorm. c. 1. in fin. de iniur. Ang. Bart. in l. iniuriarum 13. h. t.

XXIII.

Hanc tamen æstimationem iniuriæ, iudex deinde moderatur pro ut ei visum fuerit ex facto loco, & persona.

l. 7. §. fin. d. l. constit. 37. §. 1. D. d. iniur. l. 4. C. eod. Bart. in d. l. iniuriarum h. t. Ang. in d. §. pœna. 7.

XXIIII.

Criminaliter agitur hoc iudicio, si quis iniuria affectus nihil sibi ad-
iudicari

iudicari petit, sed vt officio iudicis iniurians puniatur in corpore, vel vt
pœna pecuniaria fisco inferatur.

Panorm. d. c. 1. cum seq. de iniur. Iason. in L. 1. num. 16. D. de pactis.

XXV.

Vtraque autem actio datur ei qui per semetipsum, vel eos quos po-
testati, affectuiq; subiectos habet, iniuriam realem aut verbalem pas-
sus est.

§. in summa & §. patimur instit. h. t.

XXVI.

Vnde elegans emergit quæstio vtrum si quis filiumfam: volentem
iniuria affecerit, patri iniuriarum teneatur, licet ipsi filio actio nulla cõ-
petat *a*? Et patri hoc casu actionem competere verius est. *b*

a l. 3. D. de in ius vocando L. 4. §. 2. D. si quis caut. Novel. 60. b l. 1. §. 5. D. eod.

XXVII.

Sane si filiafam: nuptæ iniuria inferatur non modo ipsi, verum &
patri, & marito eius actionem iniuriarum competere placuit.

§. patimur 2. vers. itaque si filia instit. h. t. l. 1. §. fin. D. de Iniur. l. 2. C. eod.

XXVIII.

Vnde fit vt tres actiones interdum concurrant, quarum vna inten-
tata reliquæ saluæ manent.

d. §. patimur iniuriam 2. l. inter omnes §. hæc actio D. d. furtis.

XXVIII.

Vasallis *a* quoq; & liberis hominibus bona fide nobis seruentibus
b si iniuria inferatur, quatenus ad nostram contumeliam spectat actio-
nem habemus.

a Bald.

a Ball. inc. pri. § deniq. num. 2. & 3. Quæ fuit prima causa Innot. Panor. Imol. in
c. dilectis ext. de appell. *b* §. sed si libero instit. h. t.

XXX.

Seruis ipsis nulla quidem iniuria sed domino per eos fieri intelligitur, eique actio duntaxat competit, cum quid atrocius committitur, vel quod aperte ad contumeliam domini respiciat.

§. seruis autem ipsis 3. instit. cum l. 4. D. eod.

XXXI.

Non solum autem is iniuriarum tenetur, qui iniuriam fecit, sed & qui persuasit, iussit, mandavit, curavitq; ut fieret, imo si plures fecerint singuli tenentur, tot enim sunt iniuriæ quot personæ.

§. non solum instit. h. t. l. 34. l. non solum §. si mandato cum §§. aliquot seqq. D. eod.

XXXII.

Non tamen in hæredes, ut nec hæredibus hæc actio competit *a* nisi suo nomine criminaliter agere intendant, *b* aut lis cum defuncto sit contestata. *c*

a S. 1. instit. de perpet. & tempor. action. *b* Bart. in l. fin. num. 8. de privat. delict. c. l. iniuriarum 13. h. t. l. si cum §. 1. D. si quis caution.

XXXIII.

Est hodie & alia agendi de iniurijs formula apud nos in usu admodum frequenti, qua is qui passus est iniuriam ad reuocationem siue palinodiam iniuriosorum verborum agit, quæ ideo reuocatoria aut reclamatoria vulgo dici consuevit.

XXXIII.

Quæ reclamatoria iniuriarum actio, sit ne ciuilis an criminalis: item
an cum

an cum illa cumulari possit, quæritur? Et civilem esse & cum æstima-
tione iniuriæ cumulari posse contra quosdam defendemus.

Myns. § in summa sciendum num. 7. instit. h. t. Geil. lib. 1. obs. 65. num. 5.

XXXV.

Is autem qui errore, seu malignitate potius, quam conuicium dicen-
do ingenuorum statum diffamat non actione iniuriarum ut quidam
contendunt, sed condictione l. diffamari conueniendus est.

Geil. lib. 1. obs. 9.

XXXVI.

Tollitur autem actio iniuriarum præcipue dissimulatione, a re-
missione, b pactis, c transactione, d unius anni præscriptione, e morte
utriusque partis, f iuramento, g satisfactione. g

*a §. fin. instit. h. t. l. non solum u. §. 1. D. de iniur. b l. 17. §. 6. D. eod. l. si
tibi §. 1. D. de pactis c l. 18. C. de transaction. d l. 5. C. eod. & ibi Bald. Ang.
& dd. e l. 10. §. 2. D. si quis caution. f l. 3. §. 1. l. 30. §. 3. l. 34. D. de iureiur. g d. l.
17. §. 6. D. h. tit.*

XXXVII.

Ea vero semel remissa, etsi amplius intentari nequit, a non tamen si-
militer L. Aquiliæ actio ob damnum datum remissa esse censetur, b ne-
que actio famosi libelli priusquam cætera iudicia personalia extingui-
tur. c

*a §. fin. instit. h. t. d. l. non solum §. 1. D. eod. b tot. tit. ad l. Aquiliam. c zafius in
l. cum lex num. 4. D. de ll. per t. Arriani C. de hæretic. fac. text. in l. quædam §.
nummularios D. de edendo Bald. in l. vni. C. de confessis Alex. conf. 245. num. 1.
cum seq. volum. 6.*

Vtrum

Caronis

Vtrum verbali iniuria iniuriam verbalem licite
propulsemus? Et magis est remota omni vindicta v-
numquemque hac ratione se licite defendere.

*Geil. lib. 2. obs. 100. Mynsing. in obseruat. Camer. cent. 5. obs. 17. Schnei. in §. iniuria
12. instit. eod.*




Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.









Farbkarte #13

B.I.G.



...tia iuris axiomata.
 ET FAMOSIS LI,
 DEO AVSPICE.
 IDE RE
 , CLARISSIMO
 TISSIMO VIRO,
 LBERNEBURGER I.V.D
 demia Moguntinensium pu
 Ecclesiarum B. Mariæ virgi
 decano, & S. victoris extra
 Scholastico, S. Sedis Mo
 otario, domino ac præce
 bferuando, pro vi
 blicè respon
 debit.
 RTVS MOGVNTINVS.
 Officina Gasparis Behem,
 cl. Is. LXXXIX.

7

